

1573

ro ac nimis difficulti in Venetos animo a se eos alienos redderet ; simulque verebatur , ne iniquioribus conditionibus pacem cum hoste firmassent , minusque in posterum ad arma suscipienda alacres forent . Quæ res pristinam ejus severitatem compescuit , cum præsertim intelligeret , quæ Senatus vi ac necessitate egisset , ab ea hominum conditione non improbari , qui & præteriorum memoria , & usu rerum haud obscuræ prudentiæ laudem nocti es- sent . Ea cum per Theupoli oratoris literas Venetas perferrentur , Patres impulere , ut Senatus consulo legatum ad Pontificem de- cernerent . Fuit is Nicolaus Pontius , Senator insignis , qui per omnes honorum gradus ad procuratoriam dignitatem sublatus , ætatem in Republica administranda cum domi tum foris contri- verat ; annumque octogesimum excesserat . Is celeriter Roman proficiisci iussus , ut , causis , quæ Republicam ad pacem ample- ctendam compulerant , expositis , pacatum Veneto nomini Pontifi- cem redderet . Pontius , charitate in patriam vires corporis su- perante , delatum sibi onus ita suscepit ac implevit , ut Reipubli- cæ causam egregie tutatus , nihil a Venetis , nisi mature ac pru- denter actum Pontifici suaderet . Erant in eo viro eximiæ animi dotes , artium liberalium ac scientiarum haud vulgaris peritia ; rerum experientia ex magistratibus domi , ex legationibus foris gestis insignis ; eloquentia admirabilis , ut quamcumque in partem vellet , animos flecteret . Eo auditio , senis prudentiam , dicendi que vim Gregorius admiratus , id tantum subjecisse fertur , non debuisse Patres eo silentio secum uti , quem Dei Optimi Maximi vices in terris gerentem , cuncta ad christianam rem spectantia noscere oportebat . Postea vero quam , permittente Deo , pax confecta fuerat , nil ultra additurum . Hisce observantiæ atque obsequii officiis Gregorius delinitus , Pontium legatum amplexa- tus , in pristinam cum Republica gratiam rediit . Joannes quoque Superantius in Hispaniam legatus ad Regem missus , qui pacem ietam nuntiaret , quibusve ad eam perficiendam Senatus ductus esset , rationes exponeret . Eo Philippus hilari fronte excepto , jampridem Venetorum in Republica regenda prudentiam se nos- se faſsus ; quod concordiam cum Turcis sanxissent , sapienter fecisse arbitrari ; nullaque apud se excusatione indigere affirma- vit ; in omni fortuna perpetuam amicitiam , ac benevolentiam suo nomine Reipublicæ polliceatur .

Nicolaus
Pontius
orator ad
Pontif. eli-
gitur.

Ioannes
Superantius
orator in
Hispaniam.

Inter-